...um Principis, conditorem, Marte genitum sui cives ferebant. Quid? quod et templa HEROIBUS excitârint Veteres, Heroa dicta: quum crederent, memoriam HEROUM sanctam, indeque saepius recolendam esse. Quanquam verò HEROES antiquissimis temporibus iidem essent, qui Daemones alio nomine Graecis, Latinis Genij et Lares dicti, quidam tamen discrimen inter eos fecerunt, Heroasque appellârunt id genus hominum, quod cum hominibus conjungitur: nam quod coelestibus inhaeret, Angelos vocabant: ut apud Hieroclem legimus. Atque hi ipsi sunt quos Hesiodus perelegantis ingenij Poëta, ipseque mollissima dulcedine carminum memorabilis, in Ἔργοις suis ἡμιθέους vocitat, dicens:

Ἀνδρῶν ἡρώων θεῖον γένος, οἳ καλέονται
ἡμίθεοι.
Divinum genus Heroum cognomine dicti
Semidei.

Ut adeò liquidissimè liqueat, eosdem esse de quibus Plato loquitur. Hi namque sunt venerabiliores et excellentiores homines, qui fatidicâ nave cum Jasone navigârunt, quique militârunt ad Trojam. Nam et ipse Hesiodus bellaces illos fuisse dicit. At verò absint ab hoc nostro foro isthaec docta deliria; facessant tales Eruditorum nugae: pereant istiusmodi doctorum offuciae. Nobis namque hodie necesse non est, ut ad ista ludibria et Grammaticorum vanitates descendamus; Admiramur enim heic omnes non Semideum quendam, sed verum θεάνθρωπον JESUM, filium è duplici stemate enatum HEROA. Longè quippe verius ille, quam ulli Veterum sic dicti Semidei, HEROS apud Prophetam ἀπὸ τῆς ἔριδος audit: eò quod ex amore immortalis Patris ab aeternô genitus, et praeterea ἥρως ipse ex illibatâ virgine in tempore natus. Quapropter non abs re fore puto, si in hoc splendidô Virorum splendidissimorum consessu breviter, ~~ostendam~~ ubi ordo me tangit ut dicam ostendero, quam verè apud Prophetam Esaiam puer nobis natus et filius nobis datus audiat HEROS. Quum autem in me nonnisi imbecillitas ingenij ac judicij, nonnisi oris [illegible] regnet et triumphet, ea qua par est animi observantia, Vos Auditores Venerandi, rogatos volo, ut benevolentia attentioneque vestra me prosequi haud dedignemini. Agite, meque in dicendi arte adhuc tironem humanitate et aequanimitate